

A

1611

---

---

VI.

---

314.ig.jegyzék  
"Régi nyomtatványok, Lőcse, evang.:"  
10.cim: 13273,13275,13276 sign.

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang.:"  
/314.ig.j./



13. 375

576  
CA

VIRGILII  
BUCOLICA ARGU-  
MENTIS BREVIUSCU-  
lis illustrata, ac diligentissi-  
mè recognita.



LEVTSCHOVIÆ,  
EXCUDEBAT LAUREN-  
TIUS BREWER.

Anno: M. DC. XLII.

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. : "  
/314.ig.j./





VITA P. VIRGILII  
MARONIS.



Virgilius Maro, Latino-  
rum Poëtarum facile prin-  
ceps, natus fuit Cn. Pompe-  
io & M. Licinio Crasso pri-  
mum Consulibus, Idib. Octob. in pago qui  
Andes appellatur non longe distans ab urbe  
Manua, parentes habuit Medicos & rusticæ  
rei studiosos, ipse tamen ingenij bonitate  
literarumq; flagrantia clarus imo clarissi-  
mus evasit. Augustoq; Cæsari charus fuit.  
Nam cum & Latinis & Græcis literis appri-  
mè esset edoctus, ad Poëticem se contulit.  
Adhuc fere puer, in Balistam latronem hoc  
Distichon scripsit :

*Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus,*

*Nocte dieq; juvas carpe viator iter,*

Deinde Adolescens Moretum, Culicem  
& alia scripsit opuscula. Annos autem 28.

A 2

natus,



natus, Asinij Pollionis hortatu Bucolica scribere cepit, triennioq; perfecit. Quorum scribendorum causa hæc fuit: Augustus Cæsar agros Cremonensium, qui hostes ipsius fuerant, militibus suis dederat. Sed cum agri illi militibus non sufficerent, additi sunt eis apri Mantuani qui erant proximi, Virgilius itaq; suo quoq; privatus agro, Romam venit, & inter ventu Pollionis & aliorum Procerum, agrum suum recuperavit, quod in Ecloga 1. & aliis quibusdam locis aperte ostendit, & Augusto gratias agit. Bucolica vero interpretantur pastoralia, id est, colloquia, vel carmina pastorum, nam Bucolos græcè dicitur bouum pastor unde bucolicus, id est, pastoralis, vel ad Bucolum pertinens. Apud Græcos Bucolica scripsit Theocritus Siculus, quem imitatus est & multa illius carmina in latinum tradidit. Dividuntur autem Bucolica in decem particularia carmina, quæ vocantur Eclogæ. Ecloga interpretantur eloquium, teste Joanne Castrone. Item, cum tria dicendi sunt genera, sive scribendi, autore Tullio, humi-

humile vel tenue, temperatum vel mediocre, grandiloquum vel sublime, Virgilius aptissime usus est his tribus generibus. Nam Bucolica scripsit humili stylo, prout exigebat materia: Georgica autem mediocre: Æneida vero sublimi stylo composuit. A Bucolicis igitur auspicanda Poësis est, quod Itali faciunt, apud quos pueri Bucolica ediscunt, ob idq; literati atq; disertis juvenes evadunt. In nostra vero barbarie perrarus est etiam profectus in Philosophia qui Bucolica teneat. Immò quod indignius est: multi nefas arbitrantur Poësin legi, sine qua tamen nemo literatus fieri, nemo priscos illos Theologos intelligere potest. Nos igitur ob adolescentum studiosorum qualemcunq; profectum, ista divino freti favore collegimus, ut quibus audiendi Virgilij copia non datur saltem legendi illius aliqua sit facultas, & ut per seipsos utcunq; intelligant quibus deest vivus interpret. Nam his Bucolicis (quæ principium poëseos sunt) intellectis & cognitis, facilius erit ad alia majora progressio. Faceſſat igitur in-

A 3 vidi.



vidia, sileant amuli quibus unus labor est, aliorum labores carpere cum Ipsi nihil in medium afferant, nisi fortè aliis ablatum & quod intolerabile scelus est, clam lætitant atque discunt, quod palàm vellicant atq; vituperant. Sed hos cum sua stultitia vel potius malitia relinquamus, indigni sunt enim de quibus verba fiant.

*Ex prima Ecloga.*

*Sylvestrem tenui Musam meditaris avena,*  
 Quintilianus in 9. agrestem non sylvestrem cognoscit quod etiam paulo post in Sileno repetit Virgil.

*Agrestem tenui meditabor arundine Masam*  
*Namq; erit ille mihi semper Deus.*

Semper Deus, una est pars orationis, ut perpetuo Deum illum in vita, & post mortem futurum intelligat, quod Junius quoq; Philargyrus docet, hunc ipsum interpretans locum, Præterea Donatus super illud Terentianum (& heri semper lenitas, verebar) hoc idem sentire videtur. Lucretius in 1. de rerum natura, semper florentis Homeri,  
 Virgi-

Virgilius etiam alibi, ante malorum dixit.

*Ex Pollione.*

*Matri longa decem tulerunt fastidia menses.*  
 Tulerunt legendum est media correpta, atq; hunc locum citat Donatus, exponens illud Eunuchi postquam Aediles emerunt.

*Ex Sileno.*

*Prima Syracusio dignata est ludere versu.*  
 Theocritus in 15. Idilion, & ratio Græcæ literaturæ nō admonet, hoc in loco Syracusio non Syracusio legere subtracto Dorico more y ex oy diphthongo, quæ est in Syracusio. Dicunt illi nasos per nasoys, cantharos pro catharoy aliter contra metri normam legeremus, cum tertia à fine longa sit diphthongo. Quantum omnis mundus gaudet cantante Sileno. Neutiquam (ut arbitror) male literati Virgilio hoc carmen adscripsissent, si metri rationem, aut si spacia modosq; syllabarum consulissent, cum Silenus in hoc loco tertiam à fine habeat





brevem, contra omnium auctoritatem, Itaq; nihil dubitandum quin hic versus ex Ecloga Vergiliana tanquam verruca deformis recidendus sit atq; expungendus.

*Ex Pharmacentria.*

*Necte Amarylli nodos & veneris dic vincula necto:*

Vetus & sincera scriptura habet nodos, sicq; puto legendum, cum sensus Poetae sit doctior & elegantior. Caeterum hoc carmen diversam ab aliis admittit scansionem ut obiter & illud Servij enarretur super Veneris dictione, si Anapaestus est trimeter hypercatalecticus, quod metrum Veneri dicatum est. Nam scanditur sic: Nec Ama, Dactylus, sillino, Amphimacrus dos, & Spondaeus, Veneris, Anapaestus, cto superest, Ideo dixit hypercatalecticus, quia abundat una syllaba, Trimeter vero, quia constat ex sex pedibus.



P. V.



**P. V. M. MANTVANI  
BUCOLICORUM TITYRUS.**

*ARGUMENTUM.*

Melibœus pastor ex agris, unde Mantvani ejiciebantur, cum gregibus excedens, Tityrum pastorem sub umbra fagi re supinum & ociosum, & cantilenam Fistula meditantem offendit. Inter hos colloquium rusticorum oritur, Melibœus suam & publicam calamitatem deplorat, aucta etiam ægritudine ex alieno orio Tityrus ob agros sibi uni redditos de privata felicitate gloriatur, nihil infelici amico morigeratus.

**MELIBOEUS, TITYRUS.**

**MELIBOEUS.**



*Ityre tu patula recubans sub tegmine*

*fagi,*

*Agrestem tenui Musam meditaris a-*  
*vena:*

*Nos patrie fines, & dulcia linguimus arva?*

*Nos Patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra*

*A 5*

*Formo-*

" Régi nyomtatványok, Lőcse, evang. :"  
/314.ig.j./



PRIMA

Formosam resonare doces Amarillida sylvas.  
 O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit.  
 Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram,  
 Sæpe tener nostris ab ovilicis imbuet agnus.  
 Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum  
 Ludere, quæ vellem calamo permisit agresti  
 Non equidem invideo, miror magis: undiq; totis. Me.  
 Usq; adeo turbatur agris: en ipse capellas  
 Protinus ager ago, hanc etiam vix Tityre duco.  
 Hic inter densas Corylos modonamq; gemellos,  
 Spem gregis ab silice in nuda connixa reliquit.  
 Sæpe malum hoc nobis, si mens non lava fuisset.  
 De cælo tactas memini prædicere quercus  
 Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.  
 Sed tamen, ille Deus qui sit da Tityre nobis?  
 Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe putavi Ti.  
 Stultus ego huic nostra similem, quo sæpe solemus  
 Pastores ovium teneros depellere foetus  
 Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos  
 Noram, sic parvis componere magna solebam.  
 Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,  
 Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.  
 Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi? Me.  
 Libertas, quæ sera tamen respexit inertem Ti.  
 Candidior postquam tondenti barba cadebat,  
 Perspexit tamen & longo post tempore venit  
 Postquam nos Amaryllis habet, Galathea reliquit,  
 Namq; (fatebor enim) dum me Galathea tenebat,  
 Nec.

TITYRUS.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi,  
 Quamvis multa meis exiret victima septis,  
 Pingvis & ingrata premeretur casus urbi:  
 Non unquam gravis are domum mihi dextra redibat.  
 Mirabar quid mæsta Deos Amarylli vocares, Me,  
 Cui pendere sua pateris in arbore poma:  
 Tityrus hinc aberat ipse te Tityre pinus,  
 Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.  
 Quid facerem? neq; servitio me exire licebat,  
 Nec tam præsentem alibi cognoscere divos.  
 Hic illum vidi juvenem Melibœe quotannis  
 Bis senos cui nostra dies altaria fumant.  
 Hic mihi responsam primus dedit ille petenti,  
 Pascite ut ante boves, pueri submitite tauros  
 Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,  
 Et tibi magna satis quamvis lapis omnia nudus,  
 Limosq; palus obducatur pascua junco.  
 Non insveta graveis tentabunt pabula foetas,  
 Nec mala vicini pecoris contagia ledent,  
 Fortunate senex hic inter flumina nota.  
 Et fontes sacros frigus captabis opacum.  
 Hinc tibi quæ semper vicino ab limite sepes,  
 Hybleis apibus florem depasta salicti,  
 Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.  
 Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras  
 Nec tamen interea rauca, tua cura, palumbes,  
 Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo  
 Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,

" Régi nyomtatványok, Lócse, evang. :"  
 /314.ig.j./



PRIMA TITYRUS.

Et freta destituent nudos in littore pisces  
 Ante pererratis amborum finibus exul,  
 Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,  
 Quam nostro illius labatur pectore vultus.

At nos hinc alij sitientes ibimus Afros, Me.  
 Pars Scythiam & rapidum Creta veniemus Oaxem  
 Et penitus toto divisos orbe Britannos.  
 En unquam patrios longo post tempore fines  
 Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.  
 Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas,  
 Impius hac tam culta novalia miles habebit?  
 Barbarus has segetes? en quò discordia ciues  
 Perduxit miseros: en queis corsevimus agros?  
 I. sere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites  
 Ire mea quondam felix pecus ite capelle.  
 Non ego vos posthac viridi projectus in antro,  
 Dumosa pendere procul de rupe videbo,  
 Carmina nulla canam, non me pascente capella  
 Forentem Cythisum, & salices carpetis amaras.  
 Hic tamen hac mecum poteris quiescere nocte. Ti.  
 Fronde super viridi, sunt nobis mitia poma,  
 Castanea molles, & pressi copia lactis.  
 Et jam summa procul villarum culmina fumant,  
 Majoresq; cadunt altis de montibus umbra.

ECLO.

SECUNDA ALEXIS.

ECLOGA  
 II. ALEXIS.

ARGUMENTUM.

Corydon & rusticus & parum formosus, nec dives, difficilimo amore laborat, Alexis formosiss. & Iolæ divitis domini pueri, à quo etiam in delitiis habebatur. Is postquam de suo amore in absentem puerum multa solum questus esset, tandem ipse in contemptum mutatus, ad rusticanas operas rediit.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin  
 Delicias domini, nec quid speraret habebat:  
 Tantum inter densas umbrosa cacumina fagos  
 Assidue veniebat, ibi hac incondita solus  
 Montibus & sylvis studio jactabat inani:  
 O crudelis Alexi nihil mea carmina curas:  
 Nil nostri miserere, mori me deniq; cogis.  
 Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant.  
 Nunc virides etiam occultant spineta lacertos,  
 Thestilis & rapido fessis messoribus estu,  
 Allia serpillumq; herbas contundit olentes.  
 At mecum raucis, tua dum vestigia lustras.

Solo



SECUNDA

Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.  
 Nonne fuit satis tristes Amaryllidis iras.  
 Atq; superba pati fastidia? Nonne Menalcam?  
 Quam vis ille niger, quam vis tu candidus esses.  
 O formosse puer nimium ne crede colori,  
 Alba lignustra cadunt, vaccinia nigra leguntur,  
 Despectus tibi sum nec quis sim quaris Alexi.  
 Quam dives pecoris nivei quam lactis abundans.  
 Mille meæ Siculis errant in montibus agna.  
 Lac mihi non estate novum, nec frigore desit.  
 Canto qua solitus, si quando armenta vocabat  
 Amphion Dircaus in Aëteo Aracyntho.  
 Nec sum adeo informis nuper me in litore vidi.  
 Cum placidum ventis staret mare, non ego Daphniam  
 Iudice te metuam si nunquam fallit imago,  
 O tantum libeat mecum tibi sordida rura.  
 Atq; humiles habitare casas, & figere cervos  
 Hædorumq; gregem viridi compellere hibisco.  
 Mecum una in sylvis imitabere Pana canendo  
 Pan primus calamos cera conjungere plures  
 Instituit. Pan curat oves oviumq; magistros:  
 Nec te poeniteat calamo trivisse labellum.  
 Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amynthas?  
 Est mihi disparibus septem compacta cicutis  
 Fistula, Damatas dono mihi quam dedit olim,  
 Et dixit moriens: te nunc habet ista secundum.  
 Dixit Damatas invidit stultus Amynthas.  
 Præterea duo nec tuta mihi valle reperi

Capre-

ALEXIS.

Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus ambo,  
 Bina die siccant ovis ubera quos tibi seruo.  
 Jam pridem à me illos abducere Thestylis orat.  
 Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra  
 Huc ades ô formose puer: tibi lilia plenis  
 Ecce ferunt Nympha calathis, tibi candida Nais  
 Pallentes violas, & summa papavera carpens,  
 Narcissum, & florem jungit bene olentis anethi,  
 Tum casta atq; aliis intexens suavibus herbis,  
 Mollia luteola pingit vaccinia caltha,  
 Ipse ego cana legem tenera lanugine mala  
 Castaneasq; nuces mea quas Amaryllis amabat.  
 Addam carea pruna, & honos erit huic quoq; pomo.  
 Et vos ô lauri carpam, & te proxima myrte,  
 Sic posita quoniam suaves miscetis odores.  
 Rusticus es Corydon, nec munera curat Alexis,  
 Nec si muneribus certes, concedet Jolas,  
 Eheu quid volui misero mihi? floribus austrum  
 Perditus, & liquidis immisi fontibus apris.  
 Quem fugis ab demens? habitantur Dii quoq; sylvas,  
 Dardaniusq; Paris; Pallas quas condidit arces  
 Ipsa colat nobis placeant ante omnia sylva,  
 Torva læona lupum sequitur, lupus ipse capellam,  
 Florentem Cythisum sequitur, lasciva capella,  
 Te Corydon ô Alexi trahit sua quæq; voluptas,  
 Aspice aratra jugo referunt suspensa juvenci,  
 Et sol crescentes decedens duplicat umbras,  
 Me tamen urit amor: quis enim motus adsit amori?

Ab



TERTIA

*Ab Corydon Corydon quæ te dementia capit?  
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est,  
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,  
Viminibus molliq, paras detexere junco.  
Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.*



ECLOGA  
III. PALÆMON.

ARGUMENTUM.

Amarissima contentio Menalcæ pastoris cum Damoeta rivali suo mercenario. Qui post mutua convitia, in canendi certamen veniunt, pignus utrinquè deponitur. Palæmon vicinus certaminis arbiter adsciscitur. Certant acerrimè & variè, relatione similium & contrariorum ænigmatum. Palæmon interpellata contentione vitulam Menalcæ decernit.

MENALCAS DAMOETAS,  
PALÆMON.

Mena-

PALÆMON.

MENALCAS.

**D** Ic mihi Damata cujum pecus? an Melibœi?  
Non: verum Egonis, nuper mihi tradidit  
Egon

In felix ô semper ovis pecus; ipse Nearam Me.

Dum fovet, ac ne me sibi præferat illa veretur.

Hic alienus ovis custos bis mulget in hora.

Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Parcius ista viris tamen objicienda memento. Da.

Novimus & qui te transversa tuentibus hircis,

Et quo sed faciles Nymphæ risere sacello

Tum credo, cum me arbustam videre Myconis. Me.

Atq, mala vites incidere falce novellas.

Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum. Da.

Fregisti & calamos quæ tu perverse Menalca.

Et cum vidisti puero donata dolebas.

Et si non aliqua novisses, mortuus esses.

Quid domini faciant audent cum talia fures? Me.

Non ego te vidi Damonis pessime caprum.

Excipere insidius, multum latrante Lycisca

Et cum clamarem, quo nunc se proripit ille? Da.

Tityre coge pecus tu post correctâ latebas.

An mihi cantando victus non redderet ille. Da.

Quem mea Carminibus meruisset fistula caprum?

Si nescis meus ille caper fuit, & mihi Damon

Ipsè fatebatur, sed reddere posse negabat.

Cantando tu illum aut unquam tibi fistula cera. Me.

B

Junctæ



TERTIA

*Juncta fuit? non tu in triviis indocte solebas  
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?  
Vis ergo inter nos, quod possit uterq, vicissim, Da.  
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses.  
Bis venit ad mulctam, binos alij tubere foetus.)  
Depono, tu dic, mecum quo pignore certes.*

*De grege non ausim quicquam deponere tecum. Me.  
Est mihi namq, domi pater, est injusta noverca.  
Bisq, die numerant ambo pecus: alter & hœdos.  
Verum id quod multo tute ipse fatebere majus,  
(Insanire libet quontam) tibi pocula ponam.  
Fagina, calatum diuini opus Alcimedontis,  
Lenta quibus torno facili superaddita vitis,  
Diffusos hedera vestit pallente Corymbos.  
In medio duo signa, Coron & quis fuit alter?  
Descripsit radio totum qui gentibus orbem:  
Tempora qua messor, qua curvus arator haberet,  
Nec dum illis labra admovi, sed condita seruo.*

*Et vobis idem Alcimedon duo pocula fecit, Da.  
Et molli circum est ansas amplexus acantho,  
Orpheaq, in medio posuit, sylvasq, sequentes  
Nec dum illis labra admovi, sed condita seruo.  
Si ad vitulam spectes, nihil est quod pecula laudes.*

*Nunquam hodie effugies, veniam quocunq, voca-  
ris. Me.*

*Audiat hac tantum, vel qui venit ecce Palamon,  
Efficiam post hac ne quenquam voce laceffas.*

*Quin age, si quid habes, in me mora non erit ulla. Da.  
Nec*

PALAMON.

*Nec quenquam fugio, tantum vicine Palamon  
Sensibus hac imis (res est non parva) reponas.*

*Dicite, quandoquidem in molli confedimus herba. Da.  
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,  
Nunc frondent sylva, nunc formosissimus annus.*

*Incipe Damata tu deinde sequere Menalca, Me.  
Alternis dicetis: amant alterna Camæna.*

*A Jove principium Musæ, Jovis omnia plena: Da.  
Ille colit terras, illi mea carmina cura.*

*Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me. Me.  
Munera sunt, lauri, & suave rubens hyacinthus.*

*Malo me Galatea petit, lasciva puella, Da.  
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.*

*At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas Me.  
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.*

*Parta mea Veneri sunt munera, namq, notavi Da.  
Ipse locum, æria quo congesse palumbes.*

*Quod potui, puero sylvestri ex arbore lecta Me.  
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.*

*O quoties, & qua nobis Galatea locuta est, Da.  
Partem aliquam venti Divum referatis ad aures.*

*Quid prodest, quod me ipse animo non spernis Amynta  
Si dum en sectaris apros, ego retia seruo? Me.*

*Phyllida mitte mihi, meus est natalis Jola: Da.  
Cum faciam vitula pro frugibus ipse venito.*

*Phyllida amo ante alias, nam me discedere fleuit. Me.  
Et longum formose vale, vale, inquit, Jola*

*Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres. Da.  
Arbo-*

B 2




PALÆMON TERTIA.

Arboribus venti, nobis Amaryllidis ira.  
 Dulcesatis humor depulsis arbutus hædis Me.  
 Lenta salix foeto pecori: mihi solus Amyntas.  
 Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, Musam. Da.  
 Pierides vitulam lectori, pascite vestro.  
 Pollio & ipse facit nova carmina pascite taurum, Me.  
 Jam cornu petat & pedibus qui spargat arenam.  
 Qui te Pollio amat, veniat, quo te quoque gaudet. Da.  
 Mella suant illi ferat & rubus asper Amomum.  
 Qui Baviu non odit, amet tua carmina Mavi. Me.  
 Atque idem jungat vulpes; & mulgeat hircos.  
 Qui legitis flores, & humi nascentia fraga. Da.  
 Frigidus, o pueri fugite hinc, latet anguis in herba.  
 Parcite oves nimium procedere, non bene ripa Me.  
 Creditur, ipse aries etiam nunc vellera siccatur.  
 Tityre pascentes à flumine rejice capellas, Da.  
 Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.  
 Cogite oves pueri si lac praeceperit æstus Me.  
 Ut nuper: frustra pressabimus ubera palmis.  
 Eheu, quam pingui macer est mihi taurus in arvo. Da.  
 Idem amor exitium est pecori pecorisque magistro Me.  
 His certe neque, amor causa est, vix osibus hærent,  
 Nescio quis teneros oculus mihi fascinet agnos.  
 Dic quibus in terris, (& eris mihi magnus Apollo) Da.  
 Tres pateat cœli spacium non amplius ulnas.  
 Dic quibus in terris inscripti nomina regum. Me.  
 Nascantur flores, & Phyllida semper habeto,  
 Non nostrum inter vos tantas componere lites. Da.  
 Et vi-

POLLIO QUARTA.

Et vitula tu dignus, & hic: & quisquis amores,  
 Aut metuet dulcis, aut experietur amarus,  
 Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.



E C L O G A  
 IV. POLLIO.

ARGUMENTUM.

Genethliacon canit Solino Pollionis  
 Consulis filio, quem statim editum risisse  
 constat, atque inter ipsa primordia infan-  
 tiæ periisse, de cujus felicitate multum  
 vaticinatur Sibillino carmine, auream æ-  
 tatem describens.

Sicelides Musa paulo majora canamus:  
 Non omnes arbusta juvant, humilesq; myrica,  
 Si canimus sylvas, sylva sunt consula digna.  
 Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,  
 Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,  
 Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,  
 Jam nova progenies cœlo demittitur alto.  
 Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum

B 3

Desi-



POLLIO

Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,  
 Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo,  
 Teq̄ adeo decus hoc avi, te consule, inibit  
 Pollio, & incipient magni procedere menses.  
 Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri.  
 Irrita perpetua solvent formidine terras.  
 Ille Deum vitam accipiet, Divisq̄ videbit  
 Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis,  
 Pacatumq̄ reget patriis virtutibus orbem.  
 At tibi prima puer nullo munuscula cultu  
 Errantes hederas passim cum baccare tellus  
 Mixtaq̄ ridenti colocasia fundet Acantho.  
 Ipsa lacte domum referent distenta capella  
 Ubera: nec magnos metuent armenta leones.  
 Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,  
 Occidet & serpens, & fallax herba veneni  
 Occidet, Assyrium & vulgo nascetur Amomum.  
 At simul Heroarum laudes & facta parentis  
 Jam legere, & qua sit poteris cognoscere virtus.  
 Molli paulatim flavescet campus arista.  
 Incultisq̄ rubens pendebit sentibus uva:  
 Et dura quercus sudabunt roscida mella,  
 Pauca tamen suberunt prisca vestigia fraudis,  
 Quae tentare Thetin ratibus, quae cingere muris  
 Oppida, quae jubeant telluri infindere sulcos.  
 Alter erit cum Typhis & altera qua vehat Argo  
 Delectos Heroas, erunt etiam altera bella;

Atq̄

QVARTA.

Atq̄ iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.  
 Hinc ubi jam firmata virum te fecerit atas,  
 Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus  
 Mutabit merces, omnis feret omnia tellus,  
 Non rastros patietur humus, non vinea falcem,  
 Robustus quoq̄ jam tauris juga solvet arator.  
 Nec varios discet mentiri lana colores,  
 Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti  
 Murice, jam croceo mutabit vellera luto.  
 Sponte suo sandyx pascentes vestiet agnos.  
 Talia secula suis dixerunt currite fuis  
 Concordes stabili fatorum numine Parca.  
 Aggrederere omnes (aderit jam tempus) honores  
 Chara Deum soboles magnum Jovis incrementum  
 Aspice convexo nutantem pondere mundum,  
 Terrasq̄, tractusq̄ maris, caelumq̄, profundum  
 Aspice, venturo latentur ut omnia seculo,  
 Omni tam longe maneat pars ultima vita:  
 Spiritus & quantum sat erit tua dicere facta,  
 Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,  
 Nec Linus: huic mater quam vis, atq̄ huic pater adsit  
 Orphei, Calliopeja, Lino formosus Apollo.  
 Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,  
 Pan etiam Arcadia dicet se iudice victum.  
 Incipe parve puer, risu cognoscere matrem,  
 Matri longa decem inlerunt fastidia menses.  
 Incipe parve puer, cui non risere parentes.  
 Nec Deus hanc mensa, Dea nec dignata cubili est

B 4

ECLO.

12



QVINTA

ECLOGA  
V. DAPHNIS.

ARGUMENTUM.

Epitaphium fratri aut Cæsari sub Daphnidis nomine canit. Duos pastores inducit non infestos, sed amicos neque ad æmulationem ut in Palæmone, sed credunt mutuoq; mirantur, ac laudant, & munera inter se commutant, Mopsus funeris ejus luctum describit, Menalcas deificationem.

MENALCAS, MOPSUS,  
DAPHNIS.

**C**ūr non Mopse (boni quoniam convenimus  
ambo,  
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus)  
Hic Corylus mixtas inter confedimus ulmos?  
Tu major: tibi me est æquum parere Menalca, Me.  
Sive sub incertas, Zephyris motantibus, umbras,  
Sive antro potius succedimus, aspice, ut antrum  
Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.  
Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.  
Quid si idem certet Phœbum superare canendo Mo.  
Incipe

DAPHNIS

Incipe Mopse prior si quos aut Phyllidis ignes, Me.  
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.  
Incipe: pascentes servabit Tityrus hœdos:  
Imò hæc in viridi nuper qua cortice fagi Mo.  
Carmina descripsi, & modulans alterna notavi.  
Experiar, tu deinde iubeto certet Amyntas.  
Lenta salix quantum pallenti cedit olive:  
Puniceis humilis quantum salinca rosetis:  
Judicio nostrotantum tibi cedit Amyntas,  
Sed tu desine plura puer, successimus antro, Me.  
Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnin  
Flebant, vos coryli testes & flumina Nymphis:  
Cum complexa sui corpus miserabile nati  
Atq; Deos atq; astra vocat crudelia mater.  
Non ulli pastos illis egere diebus  
Frigida Daphni boves ad flumina, nulla neq; amnem  
Libavit quadrupes nec graminis attigit herbam,  
Daphni tuum Pœnos etiam ingemuisse leones  
Interitum montesq; feri sylvaq; loquuntur.  
Daphnis & Armenias curru subjungere Tygres  
Instituit, Daphnis thyaſos inducere Baccho  
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.  
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uva,  
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:  
Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,  
Ipsa Pales agros, atq; ipse reliquit Apollo.  
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,  
Infelix lolium, & steriles dominantur avena.

B 5

Pro



Q V I N T A

Pro molli viola pro purpureo Narcisso  
 Carduus, & spinis surgit paliurus acutis:  
 Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras.  
 Pastores, mandat fieri sibi talia Daphnis.  
 Et iumulum facite, & tumulo superaddite carmen:  
 Daphnis ego in sylvis, hinc usq; ad sidera notus,  
 Formosi pecoris custos, formosior ipse.  
 Tale tuum carmen, nobis divine Poëta, Me.  
 Quale sopor fessus in gramine, quale per aestum  
 Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo,  
 Nec calamis solum equiparas, sed voce magistrum.  
 Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.  
 Nos tamen hac quocunq; modo tibi nostra vicissim  
 Dicemus, Daphnimq; tuum tollemus ad astra:  
 Daphnim ad astra feremus, amavit nos quoq; Daphnis.  
 An quicquam nobis tali sit munere majus? Mo.  
 Et puer ipse fuit cantari dignus, & ista  
 Jam pridem Stimichon laudavit carmina nobis.  
 Candidus insuetum miratur limen Olympi, Me.  
 Sub pedibus videt nubes, & sidera Daphnis.  
 Ergo alacris sylvas & caetera rura voluptas,  
 Panaq; pastoresq; tenet, Dryadasq; puellus.  
 Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis  
 Ulla dolum meditantur, amat bonus ocia Daphnis:  
 Ipsi letitia voces ad sidera jactant.  
 Inconsimiles, ipsi jam carmina rupes:  
 Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille, Menalca,  
 Quis bonus o felixq; tuis: en quatuor aras,

Ecce

D A P H N I S.

Ecce duas tibi Daphni duosq; altaria Phæbo.  
 Pocula hinc novo spumantia lacte quotannis  
 Craterasq; duos statuam tibi pinguis oliivi,  
 Et multo inprimis hilarans convivium Baccho.  
 Ante focum, si frigus erit, si messis in umbra,  
 Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.  
 Cantabunt mihi Dametas, & Lyctius Aegon,  
 Saltantes Satyros imitabitur Alphefiboëus.  
 Hec tibi semper erunt, & cum solennia vota  
 Reddemus Nymphis & cum lustrabimus agros  
 Dum juga montis Aper, fluvios dum piscis amabit,  
 Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicada,  
 Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt,  
 Ut Baccho Cereriq; tibi sic vota quotannis  
 Agricola facient, damnabis tu quoq; votis.  
 Qua tibi, qua tali reddam pro carmine dona? Mo.  
 Nam neq; me tantum venientis sibilus austru  
 Nec percussa juvant fluctu tam littora, nec qua  
 Saxosae inter decurrunt flumina valles.  
 Hac te nos fragili donabimus ante cicuta. Me.  
 Hac nos formosum Corydon ardebat Alexin:  
 Hac eadem docuit, cujus pecus, an Melibœi?  
 At tu sume pedum (quod me cum saepe rogaret, Mo.  
 Non tulit Antigenes, & erat tum dignus amari)  
 Formosum paribus nodis, atq; are Menalca.

ECLO.



E C C L O G A  
VI. SILENUS.

## A R G U M E N T U M.

Silenus Epicurum senem à pueris & Nympha quadam excitatum, cantantem, facit, de rerum primoralibus, idque juxta Epicuræorum opinionem, aliisque fabulosis argumentis. Est autem in hac Ecloga Epicuræ & voluptariæ vitæ absoluta quædam descriptio, cujus omnis ratio in comotationibus, somno, amore, & cantu consistebat.

**P**rima Syracusio dignata est ludere versu  
Nostra, nec erubuit sylvas habitare Thalia  
Cum canerem Reges & prælia Cynthius aurem  
Vellit: & admonuit pastorem Tityre, pingves  
Pascere oportet oves deductum dicere carmen  
Nunc ego (namq; super tibi erunt, qui dicere laudes  
Vare tuas cupiant, & tristia condere bella)  
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.  
Non injussa canon si quis tamen hæc quoq; si quis  
Captus amore leget, te nostræ Vare myrica,  
Tenemus omne canet nec Phœbo gratior ulla est,

Quam

Quam sibi qua Vari præscripsit pagina nomen  
Pergite Pierides: Chronis & Mnasyllus in antro  
Silenum pueri somno videre jacentem.  
Inflatum hesternò venas, ut semper, Jaccho  
Serta procul tantum capiti delapsa jacebant,  
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa  
Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambos  
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula fertis.  
Addit se sociam, timidisq; supervenit Agle,  
Agle Najaicum pulcherrima: jamq; videnti  
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.  
Ille dolens, quò vincula nectitis? inquit,  
Solvite me pueri, satis est potuisse videri,  
Carmina, qua vultis cognoscite carmina vobis,  
Huic aliud mercedis erit simul incipit ipse.  
Tum vero in numerum, Faunosq; feraq; videres  
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus  
Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes:  
Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea:  
Namq; canebat, uti magnum per inane coacta  
Segmina terrarumq; animaq; marisq; fuissent,  
Et liquidi simul ignis, ut his exordia primis  
Omnia, & ipse tener mundi concreverit orbis.  
Tum durare solum, & discludere Nerea ponto  
Cœperit, & rerum paulatim sumere formas.  
Jamq; novum terra stupeant lucefcere Solem:  
Altius atq; cadunt submotis nubibus imbres.  
Incipiant Sylva cum primum surgere, cumq;

Raro



S E X T A

Rara per ignotos errent animalia montes.  
 Hinc lapides Pyrrhæ jactos, Saturnia regna,  
 Caucaesæq; refert volucres: furtumq; Promethei  
 His adjungit, Hylam nauta quo fonte relictum  
 Clamassent, ut littus Hyla, Hyla omne sonaret.  
 Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,  
 Pasiphaen nivei solatur amore juvenci.  
 Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit?  
 Prævides implerunt falsis motibus agros.  
 At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est  
 Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,  
 Et sæpe in lævi quasisset cornua fronte:  
 Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras,  
 Ille lætus niveum molli fultus hyacintho  
 Illic sub nigra pallentes ruminat herbas, (phæ  
 Aut aliquam in magno sequitur grege, claudite Nym-  
 Diætae, Nympha nemorum, jam claudite saltus,  
 Si quæ forte ferant oculis sese obvia nostris  
 Errabunda bovis vestigia, forsitan illum  
 Aut herba captum viridi, aut armenta secutum  
 Perducant aliqua stabula ad Corynna vacca  
 Tum canit Hesperidum miratam mala puellam.  
 Tum Phaethontiadas musco circumdat amara  
 Corticis, atq; solo proceras erigit alnos,  
 Tum canit errantem Permesi ad flumina Gallum,  
 Aonas in montes tu dixerit una sororum  
 Utq; viro Phœbi chorus assurrexerit omnis:  
 Ut Linus hæc illi divino carmine pastor

Florb

S I L E N U S .

Floribus atq; apio crines ornatus amaro  
 Dixerat: hoc tibi dant calamos (en accipe Musa)  
 Ascrae quos ante seni, quibus ille solebat  
 Cantando rigidos deducere montibus ornos.  
 His tibi Grinaei nemoris dicatur origo,  
 Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo, (est  
 Quid loquar? Aut Scyllam: Nisi quam fama secuta  
 Candida succinctam latrantibus inguina monstris,  
 Dulichias vexasse rates & gurgite in alto  
 Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?  
 Aut ut mutatos Terei narraverat artus?  
 Quas illi Philomela dapes, quæ dona paravit?  
 Quo cursu desertæ petiverit, & quibus ante  
 Infelix sua tecta super volitaverit alis?  
 Omnia, quæ Phæbo quondam meditante beatus  
 Audiit Eurotas jusitq; ediscere lauros.  
 Ille canit, pulsa referunt ad sidera valles,  
 Cogere donec oves stabulis, numerumq; referre  
 Jusit, & invito processit vesper Olympo.



ECLO.



SEPTIMA

ECLOGA  
VII. MELIBOEUS.

ARGUMENTUM.

Melibœus Daphnidi pastori sub antro  
Corydonis & Thyrsidis cantilenas ( quo-  
rum certamini testis affuerat ) memoriter  
recitat, Corydoni palmam canendi tribuit.

CORIDON THYRSIS.

**F**ortè sub arguta confederat ilice Daphnis,  
Compulerantq; greges Corydon & Thyrsis in  
unum:  
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas  
Ambo florentes atatibus, Arcades ambo,  
Et cantare pares & respondere parati.  
Huc mihi, dum teneras defendo à frigore myrtos,  
Vir gregis ipse caper deerraverat, atq; ego Daphnim  
Aspicio, ille ubi me contra videt, ocyus inquit,  
Huc ades ô Melibœe, (caper tibi salvus & hædi,)  
Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra  
Huc ipsi potum venient per prata juvenci,  
Hic virides tenera pratexit arundine ripas  
Mincius, eq; sacra resonant examina quercu. (bam,  
Quid facerem? neq; ego Alcippem nec Phillida habe-  
Depul-

MELIBOEUS.

Depulsus a lacte domi qua clauderet agnos?  
Et certamenerat, Corydon cum Thyrside, magnum,  
Posthabui tamen illorum mea seria ludo,  
Alternis igitur contendere versibus ambo  
Cœpère alternos Musæ meminisse volebant,  
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.  
Nymphæ noster amor, Lybetrides, aut mihi carmen,  
Quale meo Codro, concedite (proxima Phœbi (Co.  
Versibus ille facit) Aut si non possumus omnes,  
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.  
Pastores hedera crescentem ornate Poëtam Th.  
Arcades invidia rumpantur ut ilia Codro.  
Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem  
Cingite, ne vati roceat mala lingua futuro,  
Setosi caput hoc apri tibi Delia parvus, Co.  
Et ramosa Mycon vivacis coruna cervi,  
Si proprium hoc fuerit lavi de marmore tota  
Puniceo stabis suras evincta cothurno.  
Sinum lactis, & hac te liba Priape quotannis Th.  
Expectare sat est, custos es pauperis horti.  
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu  
Si factura gregem suppleverit, aureus esto.  
Nerine Galatea thymo mihi dulcior hyble. Co.  
Candidior cygnis, hedera formosior alba,  
Cum primum pasti repetent prasæpia tauri,  
Si qua tui Corydonis habet te cura venito.  
Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis,  
Horridior rusco, projecta vilior alga,

C

Simi-



SEPTIMA MELIBŒUS.

*Si mihi non hac lux toto jam longior anno est.  
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuveni.  
Muscosi fontes, & somno mollior herba, Co.  
Et que vos rara viridis tegit arbutus umbra,  
Solstitium pecori defendite, jam venit aestas  
Torrida, jam lato turgent in palmite gemma.  
Hic focus, & tædæ pingues, hic plurimus ignis Th.  
Semper & assidua postes fuligine nigri.  
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum  
Aut numerum lupi, aut torrentia flumina ripas.  
Stant & Juniperi & castanea hirsuta,  
Strata jacent passim sua quæq; sub arbore poma.  
Omnia nunc rident: at si formosus Alexis  
Montibus his abeat, videas & flumina sicca.  
Aræ ager, vitio moriens sitit ævis herba, Th.  
Liber Pampinæas invidit collibus umbras,  
Phyllidis adventu nostræ nemus omne virebit,  
Juppiter & lato descendet plurimus imbri,  
Populus Alcide gratissima vitis Jaccho, Co.  
Formosa myrtus Veneri, sua laurea Phæbo.  
Phyllis amat corylos, illas dum Phyllis amabit,  
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phæbi.  
Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis, Th.  
Populus in fluvij, abies in montibus altis,  
Sapius at si me Lycida formosè revisas,  
Fraxinus in sylvis cedit tibi, pinus in hortis, Me.  
Hæc memini & victum frustra contendere Thyrsim.  
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.*

ECLO-

OCT. PHARMACEVTRIA.

ECLOGA  
VIII. PHARMA-  
CEVTRIA.

ARGUMENTUM.

Pollioni dicavit hanc Eclogam. Damonis & Alpheisibœi pastorum amores & quæstus exponit. Quorum alter Nisæ amator, ubi Mopsum rivalem sibi præiatum vidit, multum prius amatorie quæstus, mori destinat. Alter Daphnidem puerum amatum & in exorabilem magis sacris carminibus ab urbe rus evocavit.

DAMON, ALPHE-  
SIBŒUS.

**P**astorum Musam Damonis & Alpheisibœi,  
Immemor herbarum quos est mirata juventa  
Certantes, quorum stupefacta carmine Lynces.  
Et mutata suos requierunt flumina cursus:  
Damonis Musam dicemus, & Alpheisibœi.  
Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi,  
Sive ora Illirici legis aquoris, en eris unquam

C a

Ille



OCTAVA

Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?  
 Enerit, ut liceat totum mihi ferre per orbem  
 Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?  
 A te principium, tibi desinet, accipe iustus  
 Carmina cœpta tuis, atq; hanc sine tempora circum.  
 Inter victrices hederam tibi serpere lauros.  
 Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,  
 Cum ros in tenera pecori gratissimæ herba est,  
 Incumbens teretri Damon sic cœpit oliva.  
 Nascere præq; diem veniens age Lucifer alnum, Da.  
 Conjugis indigno Nisa deceptus amore  
 Dum queror & divos (quanquam nil testibus illis  
 Profeci) extrema moriens tamen alloquor hora.  
 Incipe Menalios mecum mea tibia versus,  
 Menalus argutumq; nemus pinosq; loquentes  
 Semper habet, semper pastorum ille audit amores,  
 Panaq; qui primus calamos non passus inertes.  
 Incipe Menalios mecum mea tibia versus.  
 Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes?  
 Jungentur jam Gryphes equis, ævog; sequenti  
 Cum canibus timidi venient ad pocula dama.  
 Mopse novas incende faces, tibi dicitur uxor.  
 Sparge marite nuces, tibi deserit Hesperus Oetam.  
 Incipe Menalios mecum mea tibia versus.  
 O digno conjuncta viro, dum despicias omnes:  
 Dumq; tibi est odio mea fistula, dumq; capella.  
 Hirsutumq; supercilium, proluxaq; barba:  
 Ne curare Deum credis mortalia quœnquam.

Incipe

PHARMACEVTRIA.

Incipe Menalios mecum mea tibia versus.  
 Sepibus in nostris parvam te roscida mala.  
 (Dux ego vester eram) vidi cum Matre legentem.  
 Alter ab undecimo tum me jam cœperat annus,  
 Jam fragiles poteram a terra contingere ramos,  
 Ut vidi ut perij, ut me malus abstulit error.  
 Incipe Menalios mecum mea tibia versus.  
 Nunc scio quid sit amor durus in coribus illum,  
 Ismarus, aut Rhodope aut extremi Garamantes.  
 Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.  
 Incipe Menalios mecum mea tibia versus.  
 Severus amor docuit natorum sanguine matrem  
 Commaculare manus, crudelis tu quoq; mater,  
 Crudelis mater magis, an puer improbus ille?  
 Improbus ille puer, crudelis tu quoq; mater.  
 Incipe Menalios mecum mea tibia versus.  
 Nunc & oves ultrò fugiat lupus aurea dura  
 Mala ferant quercus, Narcisso floreat alnus,  
 Pingvia corticibus sudent electra Myrica.  
 Certent & Cygnis Ulna, sit Tyrrus Orpheus,  
 Orpheus in sylvis, inter Delphinas Arion.  
 Incipe Menalios mecum mea tibia versus.  
 Omnia vel medium fiant mare, vivite sylva.  
 Præceptis aërii specula de montis in undas  
 Deferat, extremum hoc munus morientis habeto,  
 Desine Menalios, jam desine tibia versus.  
 Hæc Damon: vos, qua responderit Alphefibeus.  
 Dicite Pierides: non omnia possumus omnes.

C 3

Effer



## OCTAVA

Effer aquam, & molli cinge hac altaria vitta,  
 Verbenasq; adole pingves & mascula thura,  
 Conjugis ut magicis sanos avertere sacris  
 Experiar sensus nihil hic nisi carmina desunt.  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.  
 Carmina vel caelo possunt deducere Lunam.  
 Carminibus Circe socios mutavit Ulysi.  
 Frigidus in patris cantando rumpitur anguis.  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.  
 Terna tibi hac primum triplici diversa colore  
 Licia circundo: terq; hac altaria circum  
 Effigiem duco numero Deus impare gaudet.  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.  
 Neeste tribus nodis ternos Amarylli colores,  
 Neeste Amarylli nodos & Veneris dic vincula, neesto.  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.  
 Limus ut hic durefcit & hac ut cera liquefcit,  
 Uno eodemq; igni: sic nostro Daphnis amore.  
 Sparge molam & fragilibus incende bitumine lauros,  
 Daphnis ne malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.  
 Talis amor Daphnim qualis cum fessa juvencum  
 Per nemora atq; alto querendo bucula lucos  
 Propter aqua rivum viridi procumbit in ulva  
 Perdita, nec sera meminit decedere nocti:  
 Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.  
 Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.

Pigno-

## PHARMACEVTRIA.

Pignora chara sui, qua nunc ego limine in ipso  
 Terra tibi mando, debent hac pignora Daphnim.  
 Has herbas, atq; hac ponto mihi lecta venena  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.  
 Ipse dedit Mæris, nascuntur plurima Ponto.  
 His ego sepelupum fieri, & se condere sylvis  
 Mærim, saepe animas imis excire sepulcris,  
 Atq; sacas alio vidi traducere messes.  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daph-  
 nim.  
 Fer cineres Amarylli foras, rivoq; fluenti,  
 Transq; caput jace, nec respexeris, his ego Daphnim.  
 Ag grediar, nihil ille Deos nil carmina curat.  
 Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daph-  
 nim.  
 Aspice corripunt tremulis altaria flammis  
 Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.  
 Nescio quid certe est, & Hylax in limine latrat,  
 Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.  
 Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daph-  
 nis.



C 4

ECLO-



ECLOGA  
IX. MOERIS.

## ARGUMENTUM.

Lycidas pastor Romam petens, fortè in Moerim amicum incidit, qui & ipse eodem tendebat. Oritur varius utrinq; sermo inter eundem. Moeris de Galli amissione queritur: Menalcas nunciat agros illi ob canendi artem redditos. Sua carmina inter militaria tela locum non habere. Deinde à Lycida provocatus, inter ambulandum aliquot cantilenas canit.

## LYCIDAS, MOERIS.

**Q**uote Moeri pedes? an. quò via ducit, in urbem?

O Lycida vivi pervenimus, advena nostri  
Moly.

(Quod nunquam veriti sumus,) ut possessor agelli  
Diceret: haec mea sunt, veteres migrate coloni.  
Nunc victi tristes ( quoniam fors omnia versat.)  
Hos illi, ( quod nec bene vertat ) mittimus hœdos.

Certe

Certe equidem audieram, qua se subducere colles. Ly.  
Incipiunt, molliq; jugum demittere clivo.  
Usq; ad aquam, & veteris jam fracta cacumina fagi.  
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcas.  
Audieras & fama fuit, sed carmina tantum Mœ.  
Nostra valent; Lycida, tela inter Martia quantum  
Chaonias dicunt, aquila veniente columbas.  
Quod nisi me quacunq; novas incidere lites  
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,  
Nec tuus hic Moeris, nec viveret ille Menalcas. Ly.  
Heu cadet in quenquam tantum scelus? heu tua nobis  
Pene simul tecum solatia rapta Menalca? (bis  
Quis carneret Nymphas? quis humum florentib. her-  
Spargeret: aut viridi fontes induceret umbra?  
Vel que sublegi tacitus tibi carmina nuper,  
Cum te ad delicias ferres Amarillida nostras.  
Tityre dum redeo (brevis est via) pasce capellas,  
Et potum pastas age Tityre, & inter agendum  
Occursare capro, ( cornu ferit ille, ) caveo.  
Immò hæc que Varo nec dum perfecta canebat, Mœ.  
Vare tuum nomen (superet modo Mantua nobis,  
Mantua va misera nimium vicina Cremona)  
Cantantes sublime ferant ad sydera cygni,  
Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,  
Sic cythiso pasta distentent ubera vacca.  
Incipe si quid habes: & me fecere Poëtam  
Pierides, sunt & mihi carmina, me quoq; dicunt,  
Vatem pastores, sed non ego credulus illis.

C 5

Name



N O N A M O E R I S.

Nam neq; adhuc Varo videor, nec dicere Cinna  
 Digna, sed argutos interstrepit anser olores, Moe.  
 Id quidem ago, & tacitu Lycida mecum ipse voluto.  
 Si valeam meminisse: neq; est ignobile carmen.  
 Huc ades ô Galathea, quis est nam ludus in undis?  
 Hic Ver purpureum, varios hic flumina circum  
 Fundit humu flores, hic candida populus antro.  
 Imminet, & lenta texunt umbracula vires,  
 Huc ades insani feriant sine litore fluctus.  
 Quid? qua te pura solum sub nocte canentem Ly.  
 Audieram? numeros memini, si verba tenerem.  
 Daphni quid antiquos signorum suspicis ortus? Moe.  
 Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,  
 Astrum, quo segetis gauderent frugibus, & quo  
 Duceret apricus in collibus uva colorem.  
 Insere Daphni pyros, carpent tua poma nepotes.  
 Omnia fert atas, animum quoq; saepe ego longos  
 Cantando puerum memini me condere soles.  
 Nunc oblita mihi tot carmina, vox quoq; Mœrim  
 Jam fugit ipsa, lupi Mœrim videre priores.  
 Sed tamen ista satis, refert tibi saepe Menalcas.  
 Causando nostros in longum ducis amores, Ly.  
 Et nunc omne tibi stratum silet equor, & omnes  
 (Aspice) ventosi ceciderunt murmuris auro.  
 Hinc adeo media est nobis via, namq; sepulchrum  
 Incipit apparere Brianoris, hic ubi densus  
 Agricola stringunt frondes, hic Mœri canamus:  
 Hic hædos depone, tamen veniemus in urbem.

Aut,

D E C I M A G A L L U S.

Aut, si nox pluuiam ne colligat ante, veremur:  
 Cantantes licet usq; (minus via laedet) eamus,  
 Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo,  
 Desine plura puer & quod nunc instat, agamus. Moe.  
 Carmina tum melius, cum venerit ipse canemus.

E C L O G A  
 X. G A L L U S.

A R G U M E N T U M.

Gallus Poëta eximius Ægypti præfe-  
 ctus, Virgilio amicissimus, Cytharadam,  
 meretricem, Volumnij libertam amavit,  
 hæc eo spreto, ad Gallias Antonium est se-  
 cuta. Ejus amorem Virgilius videtur hac  
 Ecloga consolari.

**E**xiretum hunc Arethusa mihi concede labo-  
 rem.  
 Pauca meo Gallo, sed qua legat ipsa Lycoris,  
 Carmina sunt dicenda, neget quis carmina Gallo?  
 Sic tibi tum fluctus subter labore Sicanos,  
 Doris amara suam non intermisceat undam,  
 Incipe sollicitos Galli dicamus amores,

Dum,



DECIMA

Dum tenera attondent sive virgulta capella,  
 Non canimus surdis, respondent omnia sylva  
 Que nemora, aut qui vos saltus habuere puella  
 Najades indigno cum Gallus amore periret?  
 Nam neq; Parnasi vobis juga nam neq; Pindi  
 Ulla moram facere, neq; Aonia Aganippe.  
 Illum etiam Lauris, etiam flevere myrica,  
 Pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem  
 Manalus, & gelidi fleverunt saxa Lycæi.  
 Stant & oves circum, nostri nec pœnitet illas  
 Nec te pœniteat pecoris divine lœta,  
 Et formosus oves ad flumina pavit Adonis,  
 Venit & Upilio, tardi venere bubulci.  
 Uvidus hyberna venit de glande Menalcas.  
 Omnes unde amor iste rogant, tibi venit Apollo,  
 Galle quid insanus? inquit: tua cura Lycoris  
 Perq; nives alium, perq; horrida castra secuta est.  
 Venit & agresti capitis Sylvanus honore,  
 Florentes ferulas, & grandia lilia quassans,  
 Pan Deus Arcadia venit, quem vidimus ipsi  
 Sanguineis ebuli baccis, minioq; rubentem.  
 Et quis erit modus? inquit, amor non talia curat.  
 Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina rivis.  
 Nec Cyriso saturantur apes, nec fronde capella.  
 Tristis at ille tamen, cantabitur Arcades, inquit,  
 Montibus hæc vestris, soli cantare periti  
 Arcades: o mihi tum quam molliter ossa quiescant,  
 Vestra meos olim si fistula dicas amores.

Atq;

GALLUS.

Atq; utinam ex vobis unum, vestriq; fuisset,  
 Aut custos gregis, aut matura vinitor uva.  
 Certe sive mihi Phyllis sive esset Amyntas,  
 Seu quicumq; furor (quid tum si fuscus Amyntas?  
 Et nigra viola sunt, & vaccinia nigra)  
 Mecum inter salices lenta sub vite jaceret.  
 Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas,  
 Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori,  
 Hic nemus, hic ipso tecum consumeret ævo.  
 Nunc insanus amor, duri me Martis in armis,  
 Tela inter media, atq; adversos detinet hostes.  
 Tu procul à patria nec sit mihi credere, tantum  
 Alpinas ab dura nives, & frigora Rhæni  
 Me sine sola vides: ah te ne frigora ledant:  
 Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.  
 Ibo & Chalcidico qua sunt mihi condita versu  
 Carmina pastoris Siculi modulabor a vena.  
 Certum est in sylvis, inter spelea ferarum  
 Malle pati, tenerisq; meos incidere amores  
 Arboribus, crescent illa, crescetis amores.  
 Interea mistis lustrabo Manala Nymphis,  
 Aut acres venabor apros, non me ulla vetabunt  
 Frigora Parthenicos cambus circumdare saltus  
 Jam mihi per rupes videor, lucosq; sonantes  
 Ire, libet Partho torquere Cydonia cornu  
 Spicula, tanquam hæc sit nostri medicina furoris,  
 Aut Deus ille malis hominum mitescere discet,  
 Jam neq; Hamadriades rursus nec carmina nobis

Ipsa



DECIMA GALLUS.

*Ipsa placent, ipse rursus concedite sylva.  
Non illum nostri possunt mutare labores,  
Nec, si frigoribus medus, Hebrumq; bibamus,  
Schythoniaeq; ni ves hyemis subeamus aquosa.  
Nec, sicum moriens alta liber ariet in ulmo,  
Ethiopum versemus oves sub sydere cancri.  
Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.  
Hec sat erit. Diva, vestrum cecinisse Poëtam,  
Dum sedet, & gracili fuscillam texit hibisco,  
Pierides: vos hac facietis maxima Gallo,  
Gallo cuius amor tantum mihi crescit in horas.  
Quantum vere novo viridis se subycit alnus.  
Surgamus, solet esse gravis cantantibus umbra,  
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbra.  
Ite domum satura, venit Hesperus, ite capella.*

